





1769 146
~~41~~
7

DISSERTATIO MEDICO-FORENSIS
DE
SIMVLATIS MORBIS
ET
QVOMODO EOS DIGNOSCERE
LICEAT

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E
RVDOLPHO AVGVSTINO VOGELD.
ARCHIATR. REG. ET MEDIC. PROF. ORD:
R E L.

PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
LEGITIME CONSEQVENDIS
PVBLICE PROPOSITA

A
JOHANNE JACOBO JANSEN
TÖNNINGA-HOLSATO

A. D. XI. OCTOBR. A. R. S. MDCCCLXIX.

GOETTINGAE
EX OFFICINA BARMEIERIANA.



INSTITUT MEDIC. FORENS.

187

SYMPTOMATIS MORBIS

187

SYMPTOMATIS MORBIS

187

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS

SYMPTOMATIS MORBIS



AMPLISSIMO SENATVI
CIVITATIS PATRIAE
TÖNNINGENSIS

HANCCE DISSERTATIONEM

IN SUMMAE VENERATIONIS

DOCUMENTVM

D. D. D.

IOHANNES IACOBVS IANSEN.



AMPLISSIMO SENATI

CIVITATIS PATRIAE

TÖNNINGENSIS

HABUERE DISSERTATIONEM

IN SUMMA ANATOMIA

DOCVMENTVM

M. D. C.

JOHANNES JACOBUS KREMER





DISSERTATIO MEDICO-FORENSIS
DE
SIMVLATIS MORBIS
ET
QVOMODO EOS DIGNOSCERE LICEAT.



§. I.

SIMVLATOS morbos appellamus, quibus aliquis se affectum esse, per quædam accidentia, ad verorum similitudinem arte expressa, fingit, quibus tamen revera is non est affectus, nec veras aut omnes eorundem morborum notas exacte refert, alias autem, quibus veri morbi carent, adjunctas ostendit. Nimirum, Similitudinem aliquam cum veris morbis, quos imitantur, habent simulati: eaque similitudo signis morborum verorum, aliquando solum communibus, aliquando simul propriis seu pathognomonicis, constat confictis. In hoc autem differunt ac dignoscuntur a veris mor-

A

bis

bis simulati, quod horum signa non exacte referunt illa verorum, quod non omnia, quæ veris adsunt, in falsis conjuncta deprehenduntur, sed istorum aliqua deficiunt, alia contra, quæ veros morbos non comitantur, a falsis abesse non possunt, siquidem verus, qui subest, status hominis non potest non per aliqua sui signa sese cognoscendum dare, modo recte diligenterque attendatur.

§. II.

Ut homines simulatione morborum decipere studeant alios, illis in casibus impelli solent, ubi morbi prætextus vel impunitatem a commisso facinore, vel excusationem a sustinendis ferendisque, quæ adversa aut molesta sunt, vel spem consequendi ea, quæ cupiunt, multa quidem illa variaque, ad nummorum, voluptatis, honoris vanitatisve summa genera referenda, promittit; quæ cuncta deinceps in exemplis sigillatim apparebunt. Morbus autem eo aptior modus ad fines propositos obtinendos, nec non ad fallendos alios, videtur simulatoribus, quo magis erga ægros misericordia vel indulgentia tangi solemus, idque etiam, ubi verus morbus est, æquitas & humana divinaque jura postulant: quoque magis occultere licet, quæ intus gerantur, & quo difficilius signa verorum et fictorum morborum, non solum ab ignavis medicinæ, sed sæpe ab ipsis quoque Medicis distingui possunt. Hinc, quia, quo gravior est morbus, eo fortius aliorum animos movet, dirissimorum etiam affectuum, epilepsiæ, insaniam, hæmoptysis, apoplexiæ, membrorum mutilationis, sensuum privationis cet. speciem induere solent improbi: & quia, quo similior vero fingitur morbus, eo facilius decipit, ideo, quo varior quis ad imitandum est, quo ad fraudes exercitior, quo promptior ad cupiditates persequendas, hoc magis idoneus ad simulandum morbum est; & vice versa. Saltem hinc cognosci-

scitur, quia tot sunt occasiones, etiam per simulatos morbos, in detrimentum reipublicæ decipiendi societatem civilem, et in hanc religionis ministros sacrosque iudices, quam civilis iustitiæ sacerdotes, ipsos denique Medicos fallendi; utilissimum planeque necessarium esse, ut in detegendis ejusmodi fraudibus diligentior opera collocetur: quam ad Medicos potissimum pertinere, per se patet.

§. III.

Primum vero monendum est, simulari nonnunquam morbos dolo, qui vocatur, bono, mali cujusdam declinandi vel boni consequendi causa, dum ne contra ea, quæ aliis debentur, officia peccetur. Sic Davidem legimus 1. Samuel. 21, 13. insaniam simulasse, quo se manibus inimicorum eriperet. Quales fictiones esse licitas, aut adeo rectæ rationi consentaneas, nemo fortasse negabit: quamquam de æquitate vel scelere simulationum judicandi arbitrium proprie non Medicis datum sit, sed moralis doctrinæ jurisque consultis. Finguntur quoque nonnunquam morbi per piam sic dictam fraudem, quo scilicet religio mentibus incutiatur; ut ecstasis, catalepsis, cæt. quam tamen fraudem ad bonum dolum pertinere, non putaverim, siquidem divinarum rerum veritas non figmentorum suspicione labefactanda est. Similis fraus est, quum morbos, qui non fuerunt, per religiosos actus aut cærimonias sanatos esse perhibetur, ut miracula facta credantur.

§. IV.

Simulari morbi ab ipsis, qui eis sese affectos esse credi volunt, ordinariæ solent: aliquando tamen eorundem Medici fictionem eam adjuvant, et illos vel vere ægrotare, falso referunt, vel gravius quam verum sit; quo suo iudicio, quoniam cuivis in arte sua merito cre-

dicitur, aliis maxime, rem ita se habere, persuadent. Sic FORTVNATVS FIDELIS 1) redarguit Medicos, qui vel amicorum precibus nimis flexi, vel corrupti largitionibus, carceribus inclusos, ubi levi solum ægritudine affecti sunt, ita graviter laborare pronuntiant, ut eos carcere liberari necesse sit. Ut autem hi jure reprehendantur, ita, si dolo bono morbus confingitur, in hoc Medicum cum ægro simulatore recte consentire posse, non dissidendum est. Aliud est genus fraudis, quo Medici, sui commodi vel gloriæ causa, parvos, levi opera sanabiles, ac benignos morbos pro magnis, malignis, curatu difficilibus haberi volunt: qualis quidem indigna viro bono simulatio est, quum *bistrionis sit*, ut CORN. CELSVS ait, 2) *parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur*. Quod, si tamen verendum fortassis est, ne, dum morbus, qui per se levior est, & ab ægro quoque pro tali agnoscitur, hujus negligentia præceptis medicis obtemperandi major pejorque fiat; tunc sane prudentia jubet tegere levitatem morbi, eumque potius graviolem fingere; quin vitio vertendum esset Medico, nisi sic in salutem ægri simularet. Quemadmodum ex adverso morbum nonnunquam elevare licet Medico, quando gravioris periculi terror curationem pervertere vel impedire posset. Sed talis simulatio Medicorum huc proprie non pertinet, quum affecti non ipsi simulent.

§. V.

Quum ex solo voluntatis studio morbi simulati proficiantur, non ex causis in corpore necessitate physica agentibus; non alii morbi, neque alia ratione simulari poterunt, quam qui, et quatenus, voluntatis arbitrio subjecti sunt: item, quo magis morbi eorum-

1) de Relationibus Medicorum, L. 2. Sect. 2. cap. 1.

2) de Medicina L. V. cap. 26.

rumve signa ita comparata sunt, ut actionibus voluntariis ea imitari liceat, eo magis apta sunt ad simulationem subeundam; & contra. Itaque morbi, qui in functionibus mentis motibusque voluntariis, sive animalibus, ut vocari consuerunt, actionibus versantur, simulationi proprie propiusque patent, ut insania, melancholia, ecstasis, epilepsia, obsessio dæmoniacæ, mutitas, similesve. Morbi vero, quorum symptomata ad actionibus ab animæ consilio non pendentibus, id est, sic dictis vitalibus naturalibusque continentur, non nisi remotius & mediate, adeoque improprie, simulationem recipiunt, hoc est, dum antea per voluntarium actum aliquid functiones istas naturales aut vitales tantisper afficiens, corpori illatum est; exempli causa febris fingitur, aut gravior, quum per se est, redditur, dum vasa sanguinea in superioribus brachiis vehementer constringuntur, ut pulsus in carpo subsidat, dum medicamenta febrem accidentia sumuntur, dum facies sulphuris accensi fumo pallore inficitur, &c. tumores et ulcera per imposita medicamina facta, pro talibus, quæ a morbosa corporis affectione nata sunt, perhibentur: hydrops confingitur per impositos pulvinos similiaque: cruentus vomitus per haustum sanguinem bubulum & vomitu deinde rejectum: hæmoptysis per sanguinem ex gingivis exsuctum, dein mota rufficula emissum; & sic alia. Quæ vero functiones mixti generis sunt, id est, vitales quidem aut naturales, sed quæ tamen etiam animæ imperio quadantenus parent, ut quæ ad respirationem, mictum, alvi dejectionem pertinent; illarum simulati morbi partim immediate, partim mediate fictis accenseri debent: ut ruffis immediate moveri potest, hæmoptysis et vomitus sanguinis mediate. Sic, secundum istam functionum differentiam simulatos morbos distinguendo, melius videtur ratio eorum intelligi, viaque ad detegendos eosdem inveniri posse, quam adhuc a scriptoribus hujus argumenti, quan-

tum scio, factum est. Apparet autem, functionum animalium morbos fictos nihil morboſi in corpore exiſtentis vel adhibiti peregrini conjunctum habere, ſed ex toto ſimulari: quæ vero naturales vitalesque functiones afficiunt, illis ſubefſe aliquid alieni, quod morbum repræſentet, vel ad corpus ejusve partes adſcitum ingeſtumve, vel revera morboſum arte genitum, quod tamen non ab interiore labe fovetur, nec proinde durabile eſt; ut hac ratione duplex fictorum morborum ſpecies exiſtat, *vere ſimulatorum*, & *ſimulate verorum*, ex. cauſa febris per artem excitatæ, cæt. Cæterum ſcire licet, in quarumlibet functionum morbis ſimulatis verum aliquem ſæpe ſubtus latere morbum, qui per ſimulatum occultetur; ut melancholia vera per prætenſam hypochondriacam aut hyſtericam affectionem, venerea lues per ulcera, cæt.

§. VI.

Diſtingui, ni fallor, a ſimulatis debent morbi *Mentiti*, ſive quibus affligi ſe ſimpliciter ajunt homines, neque tamen ullas eorum notas animadvertendas exhibent; ut, quum morbus generatiim, dolor, calculus, aliaque commentitia mala ſine præſentibus ſuis ſignis prætexuntur. Hi tamen ſub latiore ſimulatorum ſignificatione comprehendendi poſſunt, ad quos vulgo referri quoque conſueverunt; modo obſervetur diſcrimen, quod inter hos & ſtricti nominis ſimulatos, qui ſigna ſecum ſua gerunt, intercedit. Similiter differunt a ſimulatis *Imaginarii* morbi proprie dicti, qui ſcilicet eſſe putantur ab ipſis ægris, quum vel non ſint, vel alii ſint; ut, ſi quis credat, vel alii judicent, vero morbo laborare, quum ſolum ſymptomatibus imperfectæ valetudinis infeſtetur: vel pthiſi laborare, quum tantummodo macies ſit a nutritionis pravitate naſcens, &c. His affines ſunt, pariter a ſimulatis morbis diverſi, *falſo nomine venientes*; ut, quum cordis dolor vocatur, qui ſit ventriculi: hæ-

mopty-

moprysis, qui sit screatus ex ore: febris continua, quæ sit continens; cæt. Simulati quidem etiam morbi falso sæpe nomine donantur, ut quum obsessio demoniaca vocatur, quæ sit melancholia ficta: apoplexia, quæ sit lipothymia; cæt. sed tum nihilo tamen minus falsum nomen & simulatus morbus diversa sunt. Spurious item, qui dici consueverunt, morbos a simulatis hoc dirimit, quod illi spontanei sunt, simulati vero voluntarii. Differunt quoque a fictis morbi *per artem facti*, qui veri sint, ex. gr. variolæ instititiæ. Neque morbi *falso aliis tributi* proprie simulatis accenseri possunt, quia tantum ab aliis finguntur, non ab ipsi quibus tribuuntur, simulantur: ut, quum dementiæ quis accusatur, qui ejus speciem nec habet, nec addiscere studet. Denique differunt a simulatis morbi *Dissimulati*, quos, licet vere hominem afficiant, tamen vel omnino non, vel saltem levius existere fingitur, idque sæpenumero per ipsos simulatos affectus alios; ut, si quis, aut ejus Medicus, neget, scorbuto, venereo, caduco morbo, hernia laborare, hæmoptysi, hæmorrhoidibus obnoxiam esse, podagram insanabilem contraxisse, pro lue Gallica scabiem, pro hæretidario malo ascitium comminiscatur, & sic porro.

§. VII.

Non vero solum morbi toti simulantur, sed etiam, qui veris morbis correpti sunt, aliquando simulationem intermiscunt, vel quo gravioris, aut pro re nata levioris speciem affectus accipiat, vel alterius complicati; qualis simulatio latissime patet. Ita videmus pueros aliosve levius dolentes nonnunquam gravissime conqueri, spasms agitato affectare simul deliria, aliquos vehementiam morbi comprimere, quo necessariis & amicis metum & ægritudinem demant; &c. Cujus quidem generis fictiones internoscere, Medico non minimum usum præstat.

§. VIII.

Dictum est, simulatos morbos certis signis constare, quibus veros morbos aliquo modo referant: quædam autem verorum signa simulatis deesse: quædam alia ipsis esse addita, quæ veris desint. Ut igitur cognoscatur, siene morbus, qui dijudicandus proponitur, verus an fictus; animadvertere oportet, quomodo signa, quæ de se prodit, comparata sint? Nam si satis diligenter inquiretur, non poterit non aliquid apparere discriminis, quo signa vera distent a falsis. Etsi vero pathognomonica, quæ vocantur signa præcipua sunt, ex quibus morbus cognoscatur; tamen etiam reliqua, verbo, quælibet accidentia & circumstantia, quæ historiam morbi conficiunt, sæpe notas aliquas subministrant, quibus verum & simularum discernere licet. Sic, quem repente, sine aliqua probabili causa, morbo prehendi videmus, quem natura callidum ac verutum esse noverimus, quem jam similes antea dolos nexuisse, nunquam vero præsentem affectum, v. c. epilepsiam, perpeßam fuisse, quem alicujus commissi criminis reum factum, contra eum magna merito nascitur simulationis suspicio: etsi certius hæc patent, si quædam aliena, quæ in vero morbo non fiunt, aut alio modo vel gradu accidunt, inter reliquas actiones admiscet ille, qui pro ægro se gerit; sicut fere fieri solet, quum nullum simulatum possit esse perpetuum, quin subinde se gestibus, actis aut verbis responsisque prodât. Quodsi vero quis nulla morbi signa suis symptomatibus exhibeat, sed tantummodo simpliciter se hoc vel illo morbo laborare, dicat, & dolores, verbi gratia, quibus sese torqueri contenderit, nonnisi solis clamoribus testetur, sine partium, quas dolere perhibet, legitimis accidentibus; illum, profecto fas est credere, mentiri morbum. Et ubi nonnihil saltem suspecti apprehenditur, accuratius in rem præsentem inquirere decet, quo magis indicia fictionis
appa-

appareant. In signorum autem investigatione quævis adminicula seu media, quibus ista percipi vel explorari possunt ac solent, adhibere oportet, omniaque quam diligentissime scrutari. Inprimisque considerandum erit, quomodo vitales naturalesque functiones, pulsus, respiratio, ciborum ac potionis appetentia, secretio excretioque fæcum, urinæ, cet. comparatæ sint; quia, licet in animalibus actionibus multiplex fictio locum inveniatur, in vitalibus idem naturalibusve non perinde succedit: quamobrem, si, has nihil indicare, comperimus, quod morbo præsenso conveniret, de ejus veritate jure dubitabimus.

§. IX.

Atque ista quidem signorum inquisitio & examinatio proprie pertinet ad Medicum, pathologiæ præsertim ac semiotices apprime gnarum; qui tamen sæpe Chirurgis, Pharmacopœis, Obstetricibus, aliisve ministris adjutoribus opus habet, quemadmodum egregie demonstravit JO. BOHNIVS 3). Hanc autem per signa medica cognitionem simulatorum morborum sæpe admodum esse difficilem ac dubiam, facile perspicitur, siquidem in veris quoque morbis, ubi nulla fictio investigationem perturbat ac perplexam facit, sæpe multis diagnosi premitur ambiguitatibus. Est vero alia simulationem detegendi via, quæ non proprie vel præcipue ad Medicum pertinet, sed ad alios quoque, maxime tamen ejus studium & operam adjuvat. Est autem hæc: quum simulatio sit studium voluntaris per confectum morbum consequendi aliquid aut declinandi, quod æger simulans sibi propositum habet, velut §. II. dictum est; allaborandum inprimis est, ubi fictionem suspicari licet, ut occultum simulationis incitamentum cognoscatur, si quod est. Quo

cogni-

3) de offic. Med. duplic. P. II. c. II. & III.

cognito, simulatio manifesta sit, totaque morbi commentitii ratio promte intelligitur: si vero nihil talis irritamenti reperiri per omnem industriam adhibitam potest, tunc pro fictio habere morbum, minus convenit, certe non liquet. Sæpe quidem satis expeditum est, invenire, quid hominem ad fallendum impellat; ut, si in vincula conjectus sit, si tormentum subeundum, &c. Sæpe vero abdita latet causa, quæ non nisi in vitæ fine ab impostoribus aliquando demum revelatur a); interdum tamen per diligentiore inquisitionem innotescit; ut, si quis amorem clandestinum in pectore foveat, si quis Medicorum artem dignoscendi ludificari tamquam incertam cupiat, &c. Tales autem animorum affectiones etiam commode per alios, qui cum ægro versantur, explorare licet atque consultum est.

§. X.

Sed quum multis plerumque modis veritatem adulterare in hoc negotio soleant versipelles homines, ad omnem tam signorum quam animorum pervestigationem dextre feliciterque obeundam plurimum conducit singularis quædam mentis in inquirendo, observando, conjectando, interrogando sagacitas ingeniique celeritas, quæ partim naturalis est, partim exercitatione perficitur; de qua facultate copiose præ ceteris doctoribus disputat JO. BAPT. SYLVATICVS 4). Inprimis eum, qui simulatoris fallacias expiscari velit, ejusque cavere fraudes, ita se componere gerereque decet, si fieri potest, ne hoc suum consilium simulator perspiciat, & ne suspicetur quidem, sed ut se pro amico, homine simplici minimeque astuto, morbum ipsius verissimum credente, habeat; ut tali modo do-
lus

a) vid. Jo. Bapt. de Lamzweerde natural. moliv. useri histor. p. 275.

4) in Institut. medica de his, qui morbum simulant, deprehendis, Cap. IV.

lus dolo retexatur. Nam quem ita secum agere videt simulans æger, adversus eum parum cautus erit, quin per imprudentiam aliquid dicat aut faciat, quo fictio retegatur. Ad hanc vero simulatoris personam in percontatione sustinendam opus est animo prudenter composito satisque obfirmato. Eam tamen agere tunc non integrum est Medico, quando huic a magistratu cura committitur ægrum visendi examinandique, idque ille resciscat; tunc enim non poterit non suspectum habere Medicum: ergo vel hoc quoque celandum est, vel per alios non suspectos Medicos hominesve res agenda.

§. XI.

His generatim præmissis, propius & particulatim enarrabimus vias & modos, quibus dum utimur, ad notitiam simulati morbi pervenire possimus.

I. Considerandum est, siue morbus ejus naturæ, ut facile, vel difficulter, vel omnino non fingi possit, aut soleat; utrum scilicet ad animales functiones, an vitales naturalesque pertineat, sicut §. V. expositum est. Etenim animalium actionum morbi facilius simulari possunt, ut non promte perspiciantur, admodumque frequenter solent: naturalium vitaliumve longe difficilius & rarius, adeoque quidam omnino nunquam, ut cataracta, ossis fractura & luxatio, multæ febres, præsertim cum inflammatione partium, pleuritis vera, sputum purulentum, lipothymia, cet. *) Hujus itaque gene-

*) Nolim tamen huic referre hæmorrhagias, quas *J. Eyn. Hebenstreitius* extra fictionis potentiam esse, quemadmodum etiam tumores, affirmat *Ambropol. forens.* Sect. II. c. IV. §. 14. p. 262. de quibus quippe omnino simulationis exempla occurrunt, & deinceps quoque enarrabuntur.



generis morbi interim si occurrant in hominibus, qui quidem alioquin simulandi causas habent, tamen eos morbos veros esse credibile est, aut saltem per artem ingestos: at simulatos, qui sunt animalium functionum. Et quoniam vitalium naturaliumve functionum morbi proprie dicti fere periculosi sunt, propter hanc quoque rationem non ita prona voluntas est ad eos confingendos, quam eos, qui in animalibus actionibus motibusque versantur. Nam quisquis mentis compos est, vix ac ne vix quidem animum inducit, ut valetudinem aut vitam adeo perdat, quo levius aliquod bonum adipiscatur aut malum vitet. Quapropter etiam illi morbi, qui in vitalibus aut naturalibus functionibus per artem creantur, ut §. V. expositum est, non nisi a valde protervis sceleratisque hominibus sibi inferri solent. Easdem ob rationes ex ejus generis morbis illi, qui leves & quorum expedita curatio est, magis suspecti sunt talis artificii, quam qui diverso modo comparati sunt: & externi magis quam interni; de quibus est interpretandus J. B. SYLVATICVS allegato libro capite 4. p. 41. edit. Mœno-Francofurtensis a. 1671. 12.

§. XII.

2. Videndum, an aliquæ fuerint aut sint causæ simulandi tam externæ, ut vincula, metus tormentorum, fuga laboris, cet. quam internæ, ut insita nequities, ad astum assuefactus animus, amor, cet.

3. Animadvertere convenit, an morbus subito, sine ullis causis occasionalibus aut antecedentibus intermediis exstiterit, quem nimirum fingi, vel arte inductum esse, verisimile sit; ut, si repente tumor appareat in corpore sano, sine casu vel alia offensione:

fi

si quis ex improvise se gerat insanum, doloribus cruciatum, epilepticum, &c.

4. Quæstiones ægro proponantur variæ, subitanæ, captiosæque, & attendatur, quid & quomodo respondeat, promte an hæsitando, ita, ut sibi perpetuo consentiat, an variet; nam inconstantia hæsitatioque simulationem & imposturam indicare solet. Melius succedit res, si sub specie colloquiorum familiarium, in quibus nullum explorandi studium appareat, tractetur; quemadmodum supra monitum est. Ita mendicus, qui se mutum gerebat, quum in domum admittus comiter exceptus esset, ex improvise familiariter interrogatus, quam diu malum suum pateretur, respondit, alle meine Lebtag, per omnem meam vitam.

5. Observeretur, an homines symptomatum, quæ conqueruntur, inconstantiam prodant: nam, quæ simulantur, non poterunt esse diuturna, nec perpetua, sed subinde dilucet integritas, quum per imprudentiam quoque non satis cavent ægri simulatores.

6. Animadvertatur, an æger remediis uti nolit, aut negligat; hoc enim fictionis indicium esse solet, præsertim in illis, qui alias ad leves etiam ægritudines ultro vel nimium medicamenta efflagitare consueverunt.

§. XIII.

7. Conferantur cum præsentem statu signa talis affectus propria seu pathognomonica; nam si, quæ talem certo comitari solent, defuerint, is fictitius declarandus erit.

8. Simul consideretur, num talia signa, quæ aposito morbo aliena sunt, admixta sint; hæc enim pariter simulationis conjecturam subministrant, sicut §. VIII. demonstratum est.

9. Animadvertatur, quomodo adversus subita & inexpectata se gerat homo, propterea que vultus ejus, gestus, pulsus, cetera-



que accidentia sedulo considerentur, an mutationem suspectam subeant; ut, si ad latum, quem credimus, nuncium affectio conquisit, & contra, simulatam eam recte putabimus.

10. Loca, quæ dicuntur aut esse debent affecta, partes in quas fraudis suspicio cadit, res quæ excernuntur, sensuum iudicio subjiciantur; quo modo sæpe fallacias detegere momento licet, quum alia multa nequicquam tentantur. Ut hæmoptysis ex gingivis falsa patescit, si gingivæ inspiciantur, aut homo sine tussi, vel antea colluto ore, exspuere jubeatur.

11. Adhibeantur remedia, quo per eorum effectus patefiat, quid de morbo existimandum sit; nam si medicamentum, quod alias ad morbum propositum certo valet, nihil juvet; si malum aliquid repentinum, factitium, adhibito contrario medicamento statim iterum abigitur; dolum fucumque suspicari fas est.

12. Frequenter & inopinato visitetur æger suspectus, maximeque tempore, quo paroxysmus incidere dicitur.

13. Observetur etiam clanculum solus, inscius, ad fores, sub fenestris, per rimam, in lacunari conclavis, per somnum, &c. num sibi perpetuo constet, an personam mutet.

14. Adhibeantur ad explorandum hominem etiam qui circa eum sunt, familiares, domestici, vigiles, quos similiter, ut adhuc explicatum est, in eo negotio se gerere decebit.

15. In infimæ fortis hominibus, qui suspecti sint, etiam per vim, plagas, verbera, veritatem exquirere licet: in aliis quoque nonnunquam per incussum terrorem, aut adeo territionem, quæ dici solet.

§. XIV.

Accedimus ad considerandas morborum species, quæ simulari solent. Primo, nonnunquam morbus in universum confingitur, nec certa ejus indicatur species. Sic Amnon, regis Davidis filius, lecto decumbat, quo occasio fieret explendi amorem, 2 lib. Samuel, cap. 13. Sed tum hoc ipsum, quod nullæ certæ morbi notæ proferruntur aut comparent, indicio est, morbum tantummodo simulari; idque deinde ulterius indagandum, quo causâ fictionis cognoscatur, si opus videbitur.

§. XV.

Ex animalium functionum morbis, (nam secundum hanc functionum differentiam morbos in præsentè tractatione distinguere, commodius videtur), in primis frequenter simulari notum est *Epilepsiam*, qua nefarii homines plurimis imponere consueverunt, stipis colligendæ, torturæ declinandæ, pugnæ in bello vitandæ, similibusque propositorum causâ; quale quid si comperiatur, continuo figmenti suspicio nasci debet, quantumvis callide convulsionem imitentur, ut etiam sint, referente FORT. FIDELI 5), qui sâpone in os indito spumam protrudant, qualis in vera nervorum distentione colligit ante os solet. Alii vero rudius in symptomatum simulacris exprimendis se gerunt, unde facilius præstigias perspicere licet. Plerique omnes tamen veras morbi notas variis modis pervertere solent, hoc ipso sui ipsorum proditores. Nam quum in comitiali morbo vero præcedat fere capitis gravitas, mentis aberratio, stupor, vertigo, sonus aurium, loquendi difficultas, abdominis inflatio,

car-

5) l. c. 2. Sect. 2. cap. 4. pag. 217.

cardialgia, cordis spasmus seu palpitatio, similiaque: tum subito prosternatur corpus, locis etiam valde adversis, membraque violentis distendantur motibus, sine sensu omni externo pariter atque interno, quapropter nec vitant graves capitis artuumque collisus, linguæ morsum, aliasque læsiones; pollice interim sub digitis firmiter contracto, oculis apertis quidem, sed mirifice rotatis atque convulsis: denique paroxysmo conquiescente nulla actorum memoria restet, sed fatigatio, & mentis stupefactæ motuumque tremulorum quædam reliquiæ; &c. in simulato contra quacunque, que commoda suis finibus visâ est, occasione 6) placide procumbunt humi impostores, antea circumspicte ita se componentes, ne membra durius affligantur, per totum quoque paroxysmi tempus, quoad eum sustinere consultum videtur, bene cavendo, ne membris suis damnum faciant, dum interea pollicem levius premunt, oculos fere claudunt, deinceps scena peracta statim sensuum ac motuum integritatem recuperant. Tales igitur præstigiatores exemplo nudari possunt, si corporis partes sensiles virgis aut fustibus cæduntur, vellicantur, acubus punguntur, sternutamenta admoventur, bombardæ exploditur, aliove morbo terror panicus excitatur. 7) In ipsa vero pathematum percontatione, qualia in morbo vero adesse eum

6) Adolescens sexties unius horæ spatio caducum malum imitatus est: quare, quum merito in suspicionem fraudis venisset, quidam ejus, dum paroxysmum ageret, aurem acu trajecit; tum ille vociferatus e vestigio fugam arripuit. *Breslauische Sammlung. 29. Versuch, 1724. August. pag. 222.*

7) vid. hanc in rem præcipue *Jo. Bobuius libr. alleg. Part. II. cap. 1. & 6. Rosin. Lemil. Ercodr. med. pr. pag. 1060. Mich. Bernb. Valentini Pandect. med. legal. P. I. Sect. 3. Casu 10.*

eumque præcedere vel sequi supra monui, ita se gerere Medicum oportet, ut ne quærat, num hoc vel illud experiantur; id quod facile adfirmabunt impostores 8); sed tantum quid patiantur. Quod quum tam exacte nosse non soleant, siquidem illa tantum symptomata imitari discunt, quæ in sensus hominum incurrant; simulatus morbus facile se manifestabit.

§. XVI.

Emprosthoroni sive Episthoroni, & Opisthoroni ficti mentionem injicit HERM. FRID. TEICHMEYERVS 9); in quibus quidem spasmi speciebus agnoscendis parum difficultatis erit. Si existant, tamen perraræ esse videntur. De *Tarantismo & Choreæ St. Viri* scribit FORT. FIDELIS 10): *Notissimum esse illorum genus, qui interdum perpetuo corporis motu saltantes, sese exagitant, occiduo autem sole quietem capiunt. Hos autem impostores ita deprehendere jubet, ut versus vesperam in conclavi clauso, luminibus accensis, contineantur, varios inter sermones interrogationesque, donec sol occiderit illis non advertentibus; nam, quia lucem videre non possunt, aut tardius sive demum post solis occasum, aut justo citius saltationem abruptum conciduntque, quo fraudem manifestant. Examinare quoque convenit, num per somnum pariter subsultent membra; hoc enim vera Choreæ distinguitur a falsa. Sed mittimus ejusmodi Tarantatos fictos, apud nos haud occurrentes, in Italia vero*

8) vid. Franc. Boissier de Sauvages *Nosolog. method.* T. II. Part. 2. p. 94.

9) in *Instit. medic. legal.* cap. XVII. Quæst. 3. n. 6. p. 140.

10) *libr. & loc. cit.* p. 217. cf. de aliis quoque speciebus tradentem *Sauvagesium dict. libr. T. III. P. I. p. 349. seq.*

vero subinde viſos, et Romæ a BAGLIVIO deprehenſos 11). *Ecſtaſis, Enthuſiaſmus, Inſpiratio divina*, ſimiliaque ſinguntur ad opinionem ſanctitatis ſibi comparandam, ſub eaque ſpecie cupiditates ſuas explendas; ſicut de Muhammede, de Sevenneniſibus prophetis poſt principium hujus, quo vivimus, ſæculi: de ſic dictis Inſpiratis, eodem circiter tempore, & ſæculi præterlapſi fine: de Convulſionariis, ut vocantur, Pariſienſibus, apud ſepulchrum abbatis Paridis, aliisque fanaticis compertum eſt. Affectiones iſtiusmodi etſi multifariam a morbis proprie dictis differant, quum præſertim per ſe nullam in corpore pravitatem conjunctam habeant; nec relinquunt; tamen, quatenus fere motibus conſtant ſpasticis, & functiones œconomix humanæ tantisper interrumpunt, aut immutant, ad morbos referuntur. Non attinet, multum operæ in diſquiſitione collocare, utrum affectus iſti voluntarii ſint h. e. ficti, an veri & præter voluntatem vi quadam divina & ſupernaturali ſuſcitantur: nam fictos eſſe in univerſum omnes, nulli plane dubitamus; & ſi admoveantur, quæ partes iſtis functionibus ſervientes, vellicent, irritamenta, percuffiones, punſiones, vulſuræ, ſternutamenta, cæt. ſimulatio ſane atque fraus mox in aprium deducuntur.

§. XVII.

Similes rationes habet & ex ſumma, ut nobis quidem videtur, animi improbitatæ proficiſcitur *Obſeſſio demoniaca*: quam ideo in *veram & ſimulatam*, ut quidem vulgo fit, dividere non poſſumus, quod omnem fictam eſſe, certo hæcenus per experientiam conſtitit complurium ſeculorum. Et, ſi quæ obſeſſio vera initio quidem, re nondum exacte ſatis explorata, quibusdam viſa fit, fictam tamen eam

11) in *diſſert. de Tarantula*, cap. VII. Opp. p. 616.

eam esse, postliminio eventus ostendit. Enimvero cum Theologis hic non disputo, sed cum Medicis, qui non pius affectum quandam in numerum corporis humani vel mentis recipere debent, quam ipsius existentia probe cognita ac demonstrata fuerit. Quam fictæ vero sint obsessiones, & quam parum fidei illis habendum, imo, quam caute ac sollerter in ipsorum investigatione procedendum, ni vel nosmet ipsi decipiamur, vel alios deinceps testimoniis nostris ac iudicii fallacibus decipiamus, ex recentissimo casu de *Lohmannia* obsessione quam luculentissime apparet. Nec paullo antiquior illa, sed multo illustrior fabula de *Cadiera* *) aliter nos sentire iubet. Et certe, si omnes Medicos per universam Europam interrogaturus sis de Obsessis, fatebuntur omnes, sibi nullum exemplum obsessionis veræ constare; etsi sciam, esse quosdam **), qui nihilo minus eam in dubitationem vocare non audeant, sed tum demum concedendam putent, si homo talia per se proferat aut pronunciet, quæ naturaliter scire non possit, vel eum alias nescire certo constet; ut, si, quæ longe distitis vel occultis in locis aguntur aut contingunt aut sunt, indicet, si nomina vel facta hominum sibi nullo modo cognitorum edat, si futura vere prædixerit, si linguas, quas nunquam didicerat, recte loquatur; porro, si blasphemias proferat, si corporis ipsius robur naturale multum superet, & quæ sunt simi-

*) vid *Recueil general des pieces concernant le Procez entre la Demoiselle Cadiera, de la ville de Toulon; & le Pere Girard, Jesuite, Recteur du Seminaire royal de Marine de la ville. A la Haye, 1731. 8. in 8 voll.*

**); vidi *Frid. Hoffmanni diss. de potentia diaboli in corpora. Hal. 1705. recuf. 1737. 1739. quæ continetur in ej. Opusc. phys. med. T. I. p. 364. sed conf. Eberh. David, Hauberi Bibliotheca, acta & scripta magica. 34 Stück, p. 637. seq.*

similia. Verum hæc omnia partim ficta esse, partim per fraudem & a subdolis hominibus suggesta, partim vero a naturalibus causis effici, non difficulter concipitur. Namque extremæ malitiæ & versutiæ esse solent, qui talia audent: & si quis pro obfesso haberi velit, nonne putes illum ad varias technas, quæ homines in stuporem & admirationem rapiat, exercendas se clanculum ac diu præparaturum esse? alias enim obsessionem mentiri non posset. Sed fictio variis artibus in apicem proferri poterit, quas ingenium & res circumstantes cuique subjicient ***) . Diabolum autem hæc tria, verbera, carcer, & fames certissime in fugam concient; si nempe obfessus, qui dicitur, sanus fuerit. Etenim & morbi sunt, velut epilepsia, spasmi, melancholia, hystericus affectus, mania, cet. per quos evenire multa mirabilia possunt, quique falso pro obsessione haberi solent. Hos remediis propriis oppugnare oportet; ægris vero,

***) Ita cuidam male feriatæ communis aqua loco lustralis, clavis ferrea loco sanctarum reliquiarum admovebatur, & pro exorcismo verba Virgilitii, Arma virumque cano &c. prælegebantur; semper confestim scenam suam gestulationibus consuetis ludere cepit: quum vero suffimentum ex sulphure, assa fœtida, galbano, similibus accensum naribus subderetur, statim exclamavit, Date veniam, suffocor, dæmon abiit. vid. *Principes de Jurisprudence sur les visites & rapports judiciaires des Médecins*, par Mr. Prevost. cet. Paris 1753. 12. p. 269. Conf. de Sauvages *Nosolog. method.* T. III. P. I. p. 396. Mendicum vidit Forr. *Fidelis*, qui se dæmoniacum gerebat, corpus universum distortendo, & in deformem speciem conformando, expressis etiam nonnullis latinis verbis; sed quum inter spectatores aliquis epistolam, ab amico acceptam, super hominem poneret, palam professus eam sacris characteribus, quibus dæmon fugaretur, esse scriptam; iste vehementius se jactare cepit, characteres illos excussurus, eoque se prodidit. *L. de velat. Medicor.* II. Sect. 2. cap. 4. p. 218.


vero, quorum mens oblata varia deliramenta profert, aliquid est condonandum: quatenus vero & ab his talia fieri appareat, quae malitia & versutia suppeditaverint, castigationibus quoque tum uti commode licebit. Affines obsessioni sunt morbi, qui diaboli virtuti vel concursui pariter adscribuntur, per *Magiam*, per *Fascinum*, per *Incantationem*, similesve technas illati, & non raro quoque mirifice simulati; ut, quum acus, clavi, crines, ossa, lintamina, carbones, ligna, aliaque mirabili arte malefica prius recondita, variis ex corporis partibus iterum extrahuntur aut redduntur, &c. quibus praestigiis plurimi, etiam sapientes viri, saepenumero decepti sunt, 12) donec tandem impostura patuit; quam igitur omnibus modis detegere vel arguere studendum est, consilio potius & prudentia, quam arte medica. At alii morbi daemioniaci pertinent ad imaginarios (vel melancholicos), ut, quum incubo oppressi homines a diabolo vel mago sagave se comprimi putant.

§. XVIII.

Hystericam affectionem confixit mulier apud PAVLUM AMMANNVM 13), quotiescunque, quum infanticidii rea fateri crimen nolle, ad torturam subeundam adigebatur. Cujus simulationis si res praesentes suspicionem injiciant, & respirationis oppressio, faucium constrictio, ventris marmura spasmique, lipothymia, ceteraque mali uterini signa desint; fortioribus excitantibus verum extorqueri poterit, ut errhinis volatilibus, sternutamentis, vellicati-

12) vid. G. Abr. Merklini Tr. de Incantamentis. Norib. 1715. 4.

13) in *Medicina Critica* p. 158. vel in *Valentini Pandect. med. legal.* P. II. S. III. casu XII. Conf. *Roder. a Castro in Medico Politic.* L. 4. c. 9. p. 251.



tionibus, puncturis, ustionibus, verberibus, cat. *Amentia*, *Stupiditas*, *Scultritia*, *Melancholia*, *Mania*, vel quælibet *Insania*, variis hominum consiliis prætenduntur. Sic Davidem legimus insaniam simulasse, quo periculum a Philistæis intentatum effugeret: Ulysssem, ne Trojanum ad bellum pertractus, ab uxore divelleretur: Solonem, Brutumque, Tarquini Superbi regis ex sorore nepotem, stulticiam imitatos, quo contemptu tuti forent, & plus aliquando reipublicæ prodesse. Delirare nonnullos desipereque se finxisse, quum alios potius stultos vellent ostendere, GALENVS 14) tradit. Qui crimina commiserunt, dementia & melancholiam affectant, quo pœna delictorum ipsis tamquam mente captis condonetur. Apud VALENTINI 15) ponitur casus militis, qui, ut immunitatem ab excubiis agendis nancisceretur, morbum splenicum & Melancholiam causatus est. Sunt etiam, qui consanguineos pro furiosis, amentibus, melancholicis deferant, quo libero bonorum suorum usu fraudentur, hic autem in cognatorum potestatem concedat; vel testamenta facta simili imputatione irrita reddere conentur. Sed hoc sicutiorum morborum genus, quamvis a nonnullis 16) ad simulatos refertur, tamen minus recte pro tali haberi videtur, quum ipsi, qui sic insimulantur, minime fingant. Pari ratione, quod BOHNIVS 17) commemorat virum, ob zelotypiam amentix falso postu-

14) in lib. *Quomodo morbum simulantes deprehendendi sint*, paulo post initium.

15) l. c. P. I. S. III. Casu VIII.

16) Vid. e. g. *Alberti in Jurisprud. Med. T. I. P. I. cap. X. §. XII. p. 211 seq.* Car. Frid. Luber & Wilh. Henr. Waldschmidt in *diff. inaug. de morbis simulatis ac dissimulatis*, §. VIII. p. 8.


17) *de offic. Medici duplici*, P. II. c. 6. prope finem.

postulatum, non huc spectat. Neque crediderim, eam melancholiam vel insaniam speciem, quam viri sceminae sibi ex amore prohibito contrahunt, simulatis morbis adnumerandam esse, sicut a quibusdam 18) fit, quemadmodum nec marcorem corporis aliasve affectiones, quae ex amore tali nascuntur; etenim hi dissimulant quidem suum amoris affectum, sed aegritudinem, quam inde revera concipiunt, non simulant. Aliter se res habet, si in hoc quoque genere vera fictio forsitan intercedat. Etiam arte quaedam vesania temporaria nonnunquam movetur medicamentis ad id efficacibus, ut mandragorae radicibus, stramonii seminibus, belladonnae foliis radicibusve aut fructibus, hyosciamo toto, cat. quae inter alios F. B. DE SAUVAGES 19) exponit. Talis autem mentis alienatio factitia quum animo simulandi fiat, a simulatarum affectionum genere sejungi non potest, sed ad veras, quae simulationis ergo constantur, ut §. V. dictum est, pertinet. Jam, si in quibuslibet mentis aberrationibus dijudicandis res praesentes aut circumstantes suspicionem injiciunt, sub ista specie fictionem latere posse; tum hujus indicia magis rimari decebit, tum propria verave talium affectionum signa praec oculis habere posita, videreque, an, & quatenus a praesentibus distent. Ea signa sunt, pro specie & gradu dementiae, nullo alio morbo, v. g. feбри, phrenitide, cat. praesente, nullis sumtis medicamentis, constanter ac perpetuo, (cum lucidis tamen quibusdam intervallis) verbis, gestibus, actionibusve contra communem sensum & rationem impingere: sine pudore esse, sine spe, sine gaudio, sine metu, quum legitimae iustave causae offerantur: contra, pra-

18) ut *Sylvatico l. c.* Cap. 3. p. 12. Cap. 4. p. 25. Cap. 16. p. 135. *Fideli*

L. de relation. Medicor. Lib. 2. Sect. 2. cap. 5. p. 221. seq.

19) *Nosol. method.* T. III. P. I. p. 364 seq. 374. 376. 393. 400.



præter rationem tristem vel hilarem esse, metuere vel audere, illachrymare vel ridere: mirificis phantasiæ erroribus additum esse, quales notissimi sunt: ululare nonnunquam, vel galli cantum imitari, vel canis latratum, &c. hominum societatem fugere, aut violentas his, adeoque sibi met ipsi, manus afferre, capillos evellere, vestes dilacerare, intra se loqui, summam frigoris ac vigiliarum patientiam, ingens virium robur ostendere, aliaque perpetrare, quæ vulgo dæmoniis tribui consueverunt. Quodsi talia non inveniuntur in præsentè casu, neque eorum causæ probabiles: alia vero compareant minus consentientia; pro simulato morbo declarandus erit: quem aliquando minis etiam & coercitionibus asperis, carcere, similibusque compefcere convenit. Ceterum ad hujusmodi nequitias detegendas sæpe cum primis opus est ingenio sagaci, callido, circumspècto, variasque simulationis causas versutiasque bene perspiciente.

§. XIX.

Sensuum privatio quoque simulatur; qua de re consuli potest SYLVATICVS 20). Sic sunt, qui, ne tormentorum doloribus ad eriminum confessionem cogantur, obstinata quadam animi patientia sensum supprimunt; qui tamen potius dissimulare dolorem dicendi sunt, quam anæsthesiam simulare. An vero præterea *tactum*, ut SYLVATICVS putat, etiam stupefacientibus illi sibi adimere possint, de eo nihil mihi certi constat; multoque magis incredibile est, quod etiam magicis characteribus aut carminibus fieri possit. Frequentior est ea simulatio, qua se *Mutos & Surdos* fingunt mendicantes, ut largiorem stipem accipiant: facinorum commissorum rei, ne ad quæstiones respondere necessum habeant,

nec

20) c. lib. cap. XI.

neu tormētis subjiciantur. Surditas autem mutitatem secum fert, si connata est. Quare si alterum tantummodo objicitur, merito suspecta res est. Et, qui ex vera surditate muti sunt, singulari voce lamentabili, non articulata, defectum hunc testantur, aut aliquid eloqui conantur. Hoc igitur signum, si non invenitur, malum consingi verosimile est. In tali suspitione res magis explorari poterit, si interrogationes improvisa proponantur, quemadmodum §. XII. n. 4. dictum est: si clam observetur homo, dum solus est, num secum loquatur, aut ad motos tumultus, clamores ac strepitus attendat: si, dum dormit, vehementi fragore tumultus concutiat, quo patefiat, num exsuscitetur & articulata voce divinam humanamve opem imploret: si in os auresque medicamenta acria infundantur: si verbera adhibeantur; præsertim si comperiri possit, hominem aliquando locutum esse vel audivisse. Sic WALDSCHMIEDTIVS 21) refert, quum Lipsiæ comprehensus fur, per triduum se surdum ac mutum, unaque cibo abstinentem gessisset, quarto die in os & aures acria fuisse injecta, cibosque in fauces vi intrusos; tum confestim eum loqui & audire cibosque capere cepisse. Et FIDELIS 22) narrat, mendicum muti personam agentem, a milite, qui hominem alias loquentem viderat, pugnis & calcibus ad constitendum pulsus fuisse. De aponia vero simplici, seu sine conjuncta surditate, quia non ex sensuum numero est, ideoque hic proprie suum non habet locum, inferius, ubi motus animales tractabimus, separatim agemus. *Amblyopiam*, ipsamque *Cæcitatem* mendici comminiscuntur, ut misericordiam magis commoveant: alii, ut emeritis adscripti, officiorum immunitatem nanciscantur, & cognat-

21) in diss. supra citat. Th. XI. p. 16 seq.

22) L. II. S. 2. cap. 3. p. 214.



cognatum adjunctum accipiant, vel ut veniam consequantur in arte sua plures conducendi ministros, quam juris & consuetudinis est: vel, ut ad testandam rem, quæ visus usum postulat, se minus aptos ostendant. &c. PLUTARCHVS 23) tradit, Dionysii Syracusarum tyranni servos, quum dominus cæcutiret, pariter, adulandi causa, idem vitium effinxisse. VALENTINI 24) proponit casum, ubi duo sutores a reliquorum ejus generis opificum societate delati sunt, quod, quo binos opificii ministros alere sibi liceret, visus hebetudinem falso causati essent. *Myopiam* videmus nonnunquam præ vanitate simulari ab illis, qui legendo lucubrandoque eam contraxisse videri volunt. Tales autem oculorum occultos defectus perspicere, verine an ementii sint, sæpe perquam difficile est; quapropter in speciem mali, causas, vitam hominis diligenter erit inquirendum, artesque revelandæ fictionis omnes in usum vocandæ.

§. XX.

Ut in istis sensuum diminutiones simulabatur, sic rursus sæpe existunt casus, ubi sensu nimium intenso *Dolores* omnis generis finguntur, aut saltem illi graviores quam vere sunt. Hoc vero fit, vel, ut molestum aliquod officium subterfugiant querentes, ut adiutorem in sparta muneribus obeundis obineant, ut immunitatem operum ac laborum consequantur, cæ. vel, ut e carcere dimittantur, aut in commodiorem locum transferantur, ut tormenta ne subeant, aut ut ab iis liberentur, cæ. vel, ut, a quibus vim passi sunt, graviores iis pœnam concilient; & quæ sunt alia voluntatis humanæ studia. GALENVS 25) proponit exemplum hominis,

23) in lib. de discrimine adulatoris & amici.

24) in *Athenicis Medico-Legal*, casu IX.

25) lib. alleg. non longe a principio.


minis, qui, quum ad comitia civium vocatus venire nollet, colicum, commentus est, sibi accidisse dolorem: aliud, servi, qui amore mulieris cujusdam captus, ne herum, iter facturum, cursu comitari necessum haberet, vehementem genuum dolorem prætexuit, quem etiam concitato per thapsiam tumore probabilem fecerat. WILHELM. HVLDERIC. WALDSCHMIEDIVS animadvertit 26), rusticum, quem alius in temporibus baculo percusserat, ut huic graviolem pararet vindictam, intolerabilem finxisse capitis dolorem. Ut autem dignoscatur, utrum ejusmodi dolores veri sint, an ficti, varia ratione investigandum est 27); quo pertinet, ut interrogetur homo de specie doloris, affectaque parte, tum consideretur, an illi doloris speciei, partique convenienter responderit: ut dolorum concomitantia, languor, pallor, frigus, iniquies, jactatio, vigilia, cet. explorentur: ut animadvertatur, utrum, qui dolere se contendit, remedia quævis ultro petat ac desideret, an parum curet, adeove respuat, præsertim si alias consueverit in levioribus etiam affectibus ultro medicamenta efflagitare; &c. Hos tamen omnes cognoscendi modos fallere posse per se patet, nisi pathognomonica cujusvis particularis doloris, e. c. pleuritis, cardialgiæ, nephritis, &c. signa conferantur: tum paulisper differatur judicium, & expectetur, quæ posthac eveniant, quousque dolor perseverare dicatur, &c. denique, nisi singulari ingenio, arte, dexteritate, simulationis origo causæve retegantur. Sic GALE-

NVS

26) in *Lutberi filiique Waldschmiedii* diss. cit. Th. 25. p. 37.

27) vid. præter *Galenum, Fidelem, Sylvaticum, & Zacchiam, Locvium, in Theorr. medico-jurid. Cap. VII. §. IV. p. 355* seq. quem *Teichmeyerus* in *Instit. Medic. legal. p. 137* seq. fere exscripsit.





NVS 28) *ſiſt*um dolorem colicum eo deprehendit, quod homo remedia, quæ commendabantur, parum appetebat, licet antea in minoribus malis maxime ſollicitus fuiſſet, idemque ſciret, paucis ante diebus alium, colico morbo conflictatum, dato philonio a Galeno ſanatum eſſe, quod medicamentum certe poſcoſiſſet, ſi vere eundem dolorem paſſus eſſet: tum eo, quod dimiſſa, ad quam vocatus erat, concione, nihil amplius querebatur: denique, quod tali viſtu & regimine antehac uſus erat, quæ colicum dolorem procreare non potuerant. Similiter in ſervo 29), qui genuum dolorem conquerebatur, ſimulationem inde collegit, quod eandem in diem dominus iter indixerat, quod ſervus conſueverat talia mentiri, quod ex ejus conſervo & amico Galenus comperiebat, iſtum amore mulierculæ teneri, quod tumorem in genu per thapſiam excitatum eſſe, perito apparebat, quod nihil antea, quo tumor talis conſtari potuiſſet, acciderat, quod ſervus de ſpecie doloris interrogatus, hæſitanter, non promte, neque ea, quæ ſibi conſentirent, reſpondebat, denique quod, poſtquam herus profeſſus erat, hora una dolorem ex toto ſublatus eſſe, conſitebatur, eſſi nihil anodyni im-poſitum fuerat, ſed tantummodo quod thapſiæ qualitatem refrigerare poſſet. WALDSCHMIEDIVS 30) pater, quum ruſticum in temporibus percuſſum, doloris cruciatus fingere ſuſpicaretur, verum exploraturus, palam profeſſus eſt, nihil aliud ſuper-eſſe, remedii, quam perforationem calvariæ, quæ trepano ſic dicto fiat; ergo die craſtini ſummo mane ſe cum chirurgo rediturum ad applicandam terebram: Quo audito, ruſticus nocte clam e lecto ſe ſurripuit, do-

28) alleg. lib. poſt initium.

29) id. ibid. circa medium.

30) in diſſ. cit. p. 37 ſeq.

demumque abiit doloris expers, quem simulatum fuisse, eo fatis ostendit.

§. XXI.

Soporosi quoque morbi simulati nonnunquam occurrunt, & præsertim *Apoplexia*. Simulantur autem a nefariis hominibus, ut meritatum poenarum aut tormentorum effugia quærant. Igitur, ubi talis protervia suis ex indiciis rebusve circumstantibus conjicitur; vel ex non obscuris apoplexiæ veræ notis absentibus cognoscitur; statim admotis validis excitantibus impostor confundi poterit, si nimirum volatiles spiritus, aut acria sternutamenta, naribus subjiciantur, vel immitrantur, aut pili evellantur, aut igne, ferro caudente, urticis, verberibus corpus irriteretur, & quæ sunt similia. Fere tamen his minus opus esse videri potest, siquidem brevi ipse se simulator prodat necesse est, quoniam hujusmodi insultus non diu sustineri vel ludi potest, ut non in alium statum mutetur. Si quis vero forte morbo attonito quondam se obnoxium dixerit, eoquæ questionem criminalem devitare velit; is per interrogationem eorum, qui de ea re testimonium perhibere possint, coarguendus erit. *Paralyfis* fictæ meminerunt FIDELIS 31), BOHNIVSQUE 32): quin ex S. AVGVSTINO & AVICENNA referuntur exempla hominum, qui, quandocunque voluerint, sibimet ipsi paralyfin inducere potuissent. Sed quum veram nervorum resolutionem laxa flaccidaque comitantur membra ac muscoli, marcor eorundem ac frigus: hasque conditiones voluntate inducere non liceat; non adeo difficile fuerit, fictum hic a vero discernere. Hanc autem, & *Syncopen* pariter ac *Lipobhyniam*, adeoque *Mortem* ipsam si

quando

31) l. c. p. 214.

32) l. c. Part. II. cap. 6. p. 685.



quando simuleatur, ut a scelerum artificibus, quo se vindictæ subtrahant, fieri fidem faciunt ZACCHIAS 33), LOEWIVS 34), LVD. CAEL. RHODIGINVS 35), JO. MARIA LANCISIVS 36), discutere, non arduum erit, si, quæ in apoplexia dicta sunt, exhibeantur: quemadmodum & vera horum affectuum signa satis expedita sunt.

§. XXII.

Aphoniam aliquos eo modo confingere, ut linguam ad suam radicem retrahant atque conduplicent, ita ut etiam diligenter inveniendi muti videatur, FORT. FIDELIS 37) testatur. Miles mutus se simulans etiam apud EBERHARD. GOCKELIVM occurrit 38). Conferantur, quæ supra §. XIX. de mutis & surdis prolata sunt. *Claudicationem* a mendicis & latronibus crebro simulari, quo facilius mendicabula rapinasque suas exercere possint, satis constat: quam ad rem adulterina quoque ex ligno brachia & crura sibi supponere norunt 39). Mendicum claudicantem, plaga medicina restitutum, habet VITVS RIEDLINVS 40). Et FIDELIS 41) noverat, qui manum ac brachium tam acriter contrahebant intorquebantque, ut vere manci distortique viderentur.

33) *Quæst. med. legal.* Lib. 2. Tit. 3. Qu. 6.

34) *Theatr. Med. Jurid.* Cap. VII. §. 6. p. 363.

35) *Lectionum antiquarum* Lib. 20. Cap. 16.

36) *de subitaneis mortibus* p. m. 55.

37) *l. c.* Lib. 2. Sect. 2. cap. 4. p. 217.

38) *Consilior.* Cent. II. consil. 31.

39) *vid. Jo. Rud. Camerarii Sylloge memorabilium Medicinæ* Centur. X. Sect. 67.

40) *Linearum Medicar.* Ann. V. mens. Decembr. observ. I. p. 1276.

41) *l. c.* pag. ead.


tur. Sed ejusmodi fraudes & insidias revelare, non multum artis postulat, modo fatis diligentia ad partes ipsas inspiciendas & considerandas adferatur.

§. XXIII.

Convertimus nos ad explicandam simulationem morborum, qui in naturalibus vitalibusque functionibusque versantur. In his *Febris* primum merito locum occupat. Quam temporariam a divite quodam, ut Medicos nihil certi cognoscere probaret, excitatam vidit GALENVS 42) : variis rebus aut medicamentis, adeoque vinculis circum arterias ac venas fortius adstrictis moveri, plures auctores, PORTA, FIDELIS, SYLVATICVS, ZACCHIAS, LOEWIVS, TEICHMEYERVS &c. docent. Verum tamen de multarum rerum virtute, quæ febrem ipsis accendere dicuntur vel creduntur, ut sunt hyosciami semen, theriaca, belladonna, mandragoræ radices, oleum cornuti scarabæi coctum, alium ano immisum, cantharidee, torpedo piscis manu contactus, non parum dubitamus. Jam, si res circumstantes febris voluntariæ suspicionem adferant, præsertim si quoque sciscitando cognosci possit, hominem aliqua re ad illam movendam efficaci usum esse; tum ad imposturam plane convincendam dies unus & alter expectari poterit, quo temporis intervallo talis factitia febris per se decedet: cavendo tamen, ne febrem concitantia denuo sumantur, si fortassis eo malitiæ progredi velit simulator, neque periculum inde sibi nasciturum vereatur. Suspectum faciei fucum, de quo alio loco dixi, medicus coram in suo conspectu ablui jubeat. Ceterum si quis cum ejusmodi febre veras spontanea febris rationes diligenter comparare velit, etiam hac via fatis differentiarum animadvertet.

§. XXIV.

42) de *Præsig. ex Pulsib.* Lib. I. cap. 2.



§. XXIV.

Hemoptysis ementita commemoratur a GALENO 43), qua
 tussientes sanguinem ex gingivis eductum sputo reddunt: a SYL-
 VATICO 44) alio modo, quum scilicet quidam bolum Armenam
 assidue sub lingua tenendo, sputum inde subrubro colore tingere
 deprehensus fuit. Quam fraudem quomodo investigare conveniat,
 jam §. XIII. num. 10. significatum est: pluribus autem exponit
 SYLVATICVS Capite XV. *Phetisin* aliquis privilegii cuiusdam con-
 ferendi causa prætexuisse insimulatur apud M. B. VALENTINI 45).
Tabem vel *Atrophiam* commemorat SYLVATICVS 46) inducto
 pallore confidam. *Vomitum sanguineum*, quo per aliquot dies
 magnam cruoris copiam Medico præsentem rejecit, puella in monaste-
 rium missa simulavit eum ad finem, ut monasterio excedendi liber-
 tatem consequeretur; referente F. B. DE SAUVAGES 47). Com-
 pertum vero tandem est, eam quotidie clam sanguinem bovillum,
 furtim sibi allatum, hausisse. *Micum cruentum* etiam quosdam
 æmulari, ut aliquamdiu cibo abstinentes, minium aquæ salisæ per-
 mixtum potent: vel opuntia fructus comedant, aut tinctorum rubiam,
 FORT. FIDELIS equidem adnotat 48), de quo nos vero valde
 dubitamus. Minium enim nostros humores certe non tingit, ne-
 que

43) de iis, qui morbum simulant, deprehendis, statim post princi-
 pium. Hujus vestigia premunt *Fidelis* c. I. pag. 208 & 213. *Sylvaticus*
 cap. 3. p. 10. cap. 15. p. 132 seq. *Lurber & Waldschmiedt*. diff.
 alleg. Th. XVII. p. 26.

44) l. c.

45) in *Authenticis Med. legal.* Casu IX

46) c. I. Cap. 3. p. 11.

47) *Nosolog. method.* T. III, P. II. p. 44.

48) l. c. p. m. 208.

que in sanguinem transire potest, quum sit plane in succis primarum viarum indissolubile. Quid opuntia fructus præstent, de eo nihil certi nobis constat. Rubiam vero a suis magna copia devoratum non tingere ipsorum urinam, neque decoctum ejus saturatum ab homine potum ipsius lotium inficere, certe novimus. Similiter fidem derogare decet huic auctori, quando *alvum sanguinolentam* reddi comestis moris affirmat. *Ictericam cachexiam* fucaram fuligine aqua distemperata aut pigmento ex terra umbra, quæ dicitur, & radice curcumæ facta, fingi docent PAREVS 49) & TEICHMEYERVS 50). De quarum fictionum omnium cognoscendi viis ac rationibus nihil sigillatim adjiciendum videtur, quum iisdem hoc in negotio consiliis uti oporteat, quæ in superioribus jam sæpius proposita sunt; ut, signa verorum affectuum conferenda, partes & res inspiciendas, fucum abluendum, &c.

§. XXV.

Inedia sive *Astrix* plurium dierum, vel annorum adeo commentitiæ, qua sanctitatis vel etiam dæmoniacæ obsessionis existimationem sibi comparare student impostores, aliquot exempla in medium affert FIDELIS 51), & in his unius meretricis, quæ neque edere, neque bibere, neque egerere, neque dormire credebatur. Alia similia excitant LVTHERVS WALDSCHMIEDIVSQUE 52). Hi quidem commemorant quoque casus veræ abstinentiæ per diuturnum temporis spatium toleratæ: sed tamen constitit ordinariæ, (si morbosam inediam excipias) vel clam alimenti aliquid capere tales homines, vel tandem vanitatis suæ pœnas morte luere. Quapropter in ejusmodi professis jejuniis, quæ semper per se suspecta esse debent, omnibus, quæ adhuc exposita sunt, artibus inquirendum est, ut comperiat, quid clam agant. *Asticem hydropem*, aliumve tumorem abdominis morbosum, aliquando pulvinis pannisve sub veste reconditis simulari, cognitum est. Sed majore tamen astutia forte a nemine ejusmodi simulatio peracta fuit, & diutius quo-

49) *Opp.* L. 24. c. 18. p. m. 743.

50) l. c. cap. XVII. Qu. 3. n. 3.

51) l. c. p. 228 seq.

52) in diff. cit. Thei. XIII - XVI. pag. 19 seq.



quoque continuata, quam a vetula quadam Argentoratensi, cujus historiam una cum apologia Medicorum Argentinensium singulari schediasmate JO. BOECLERVS complexus est. Iuvat hinc, eam hoc loco brevibus repetere ac in memoriam revocare. Scilicet ista vetula, quum junior adhuc esset & ob ventris tumorem in graviditatis suspicionem pervenisset, progressu temporis hinc liberata, spectaculum prosequuta est, tumoris molem nefario artificio sensim exaggerando in suum commodum, ut stipem largiorem acciperet otioque posset diffuere; sicque universæ propemodum civitati per integros 39 annos imposuit, ut etiam Chirurgi ac Medici quidam, admiratione tam stupendi tumoris affecti, quodnam ille monstrum contineret, scire aliquando desiderantes, obitum vetulæ vix expectare poterint. Hic vero quum tandem evenisset, lustrato corpore, nihil tumidi in ventre ejus se prodidit, in cubiculo vero sacculus lintheaminibus detritis ac pannis fartus, & supra 19 libras ponderans reperiebatur, quem dolosa mulier adeo apposite noverat ventri suo alligare, ut stupendam istum tumorem, quem prætextu pudoris per inspectionem nequiquam violandi occultavit, per tam longum annorum spatium mentiretur *). *Menstruorum obstructionem* a foeminis furtivo concubitu imprægnatis sæpe confingi pervulgatum est: Qua in re maxime cautum esse Medicum oportet, ne deceptus, dum menstrua provocare studet, abortum concitet. *Abortus* quoque simulati casus existant apud RODERIC. A CASTRO 53), PETR. BORELLVM 54), CAR. FRID. LVTHERVVM 55); quo vel carcerem vinculaque effugere, vel alteri, sceleris artifices, quem profitentur, damnum creare tentant, &c. Sic in Castrensis exemplo, meretrix, quum Ulyssipone navibus in aliam urbem deportanda esset, id amolitura, humorem ex sanguine & lacte mixtum, per ledum suum diffudit, tamquam abortum perpessa. *Impotentiam* coeundi & viri & mulieres de semet ipsis vel de altero comminiscuntur,

*) Divulgatam vetulæ imaginem, una cum sarcina, Jo. Frid. Bæuerus iterum delineari curavit in *Atl. Nat. Cur.* Vol. II. tab. V. p. 208.

53) *Medic. Poltric.* Lib. 4. cap. 9. pag. 251.

54) *Histor. & Observ. Med.* Centur. IV. Obs. 79. p. 339.

55) *diff. alleg. Th. XXX.* p. 46 seq.

tur, ut imprægnationis crimen a se devolvant, ut exosi conjugii dissolutionem impetrent, ut fascinum sive maleficium devotionis aliis imputent, & qui sunt similes respectus. Sed de hac, quemadmodum & de *Sterilitate*, quibus notis cognosci possunt, & siquæ a vero discerni, longior est tractatio, quam ut hic explicari possit: & solet quoque ad aliam Forensis Medicinæ partem referri, non ad illam de morbis proprie dictis.

§. XXVI.

Pblegmonem, Erysipelas, Oedemata simulata excitat GALENVS 56): nec non *Tumorem* genuum thapsia inductum. *Elephantiasin* seu *Lepram* quo artificio mendicantes nebulones repræsentent, ex PAREO edificari potest 57). Eodem teste, quidam cadaverosum brachium, furcula fultum, magna omnium admiratione ostentabat; ipsum autem suum brachium sanum affabre post terga revinctum gerebat, & aliud ex suspensi hominis cadavere sumtum, suo pectori aptaverat 58). Nonnulli *prolapsum intestinum rectum* turpi spectaculo visendum præbent, tabo sanieque persusum; nam bubulum intestinum, spongia, lacte & sanguine madida, repletum, ano subditum gestant, unde continuo scædus destillat humor 59). Similiter fere mendica mulier *uteri procidentiam* vesica bubula quadrantenus inflata, cruore oblita, tum spongia subiecta, mentiebatur 60). Quibus rebus mendici sibi *Ulcera* vel *Fonticulos* in brachiis curibusque vulgo creent, quo ad labores inepti videantur, alii ut tormenta ne subeant, docent FIDELIS, SYLVATICVS, ZACCHIAS, LOEWIVS, aliique apud MICH. ALBERTI 61). Quo in genere crassius quoque artificium adhibent, sanum scilicet membrum plurimis pannis & linteaminibus obvolvendo. Virginem quandam adolescentulam, in cœnobio aliis ancillantem, refert M. A. SEVERI-
NVS

56) libr. alleg. Conf. *Sylvat.* p. 10. 42. & toto cap. XII. p. 117 seq.57) *Opp.* L. XXIV. cap. XVIII. p. m. 743.58) *ib.* pag. 742.59) *Pareus* in *Opp.* p. 744.60) *id.* *ib.*61) *Furiprud. Medic.* T. I. P. I. Cap. X. §. XIII. nota (c). Add. *Marc. Aurel. Severinus de efficaci medicina, s. Chirurgia, Part. II. Cap. 139.*

NVS I. c. ejus vitæ pertasam, septico medicamento mammis quasi gangrænam & phagedænam induxisse, bullis crustulisque, postquam curatæ erant, continuo renascentibus, donec tandem Severinus animadverterit aliquid istius septici in parte per imprudentiam relictum. *Carcinoma* mammarum quibus præstigiis efflaxerit mendica fæmina, scite enarrat AMBROS. PAREVS 62), & ex hoc, autoris quidem nomine suppresso, FIDELIS 63). Truncos sive *Mutilos* artus a mendicis sæpe fingi, nemo nescit: & ejus generis aliqua jam antea §. XXII. annotata sunt. *Herniam* simulatam habet VIT. RIEDLINVS 64); quam alias applicato inguini ventre ovillo fingi, PAREVS notavit 65). Mendicam aliquam contractis epigastrii musculis motum *Serpentis*, quem sibi dormienti per os illapsum affirmabat, amulatam esse, idem perhibet PAREVS, & ex hoc iterum FIDELIS. Hæc omnia vero signenta communi methodo prudentiaque eo minus difficulter deteguntur, quo magis exterius apparent.

§. XXVII.

De calculis præterea notandum est, quod & a protervis & fraudulentis hominibus ob varia commoda, quæ inde sibi parare intendunt, imo adeo, quod mireris, ostentationis saltem gratia & ad famam consequendam, non sine vi & dolorum tormento nunc devorentur, nunc partibus naturalibus immittantur, deinceps per vomitum, alvum, aut urinæ vias vulvamve, inter maximos ejulatus, quin convulsivos motus, rejiciantur expellanturque. Sic puerum memorat BARTHOLINVS 66), qui calculosum mistum simulavit; qui vero, quum seclusus a fratribus & amicis in custodia detineretur, toto illo tempore, quo paroxysmum ingruere simulabat, nunquam calculos excrevit, quod vel ipsi non suppetebant, vel commoda occasio in matulam illos projiciendi deerat. Sed hæc nequitia pueri parva adhuc dicenda est. Multo major est illa puellæ, quam BONETVS 67) vidit, quæ dolore renum se laborare, & post tenesmo ac ischuria propter calculos vexari conquerebatur, sibi que non

62) l. c. p. 743.

63) l. c. p. 215.

64) in *Itinere Medico*, p. 77.

65) l. c. p. 744.

66) *Censur.* III. *epist.* LX.

67) vid. *Jo. Jac. Harderi Thesaur. observat. medic. rarior.* LXXX. p. 307.

non semel etiam a Chirurgis urinam per catheterem emitti & sili-
 e vesica immixta digitis Chirurgi educi passa est, altero vero die
 iterum de calculo in vesica contento querelas movit, eumque edu-
 ci sivit; quod trigesses factum est. Sed fraus non diu latuit. Nidus
 sub axillis repertus est lapidum, quos in sentinam illam sensim puel-
 la vafra intruse. Similis huic historia est, quam Cel. MORAN-
 DVS 68) ad memoriam mandavit de lapidicidæ filia in Galliis,
 quæ quum in morbo longo, ut fama erat, ingentem vim calculo-
 rum tum emisisset, tum etiam e vesica per urinæ meatum extraxisset
 inter maximos dolores & spasticos corporis motus, multique etiam
 horum a lithotomis extracti fuissent, Facultas Medica Parisiensis,
 misso ad puellam Morando suo, viro in harum rerum cognitione
 versatissimo, statum ægræ, prout videri voluit, quam accuratissi-
 me investigari iussit, comperitque demum a Morando, morbum
 prorsus esse fictum, quum lapides ejecti mineralis fuerint, non ani-
 malis prosapiæ, & maximam partem frustra coëtorum lapidum, vel
 etiam ex horum genere, qui in vicinia loci, quem puella inhabi-
 tabat, reperirentur. Neque vir ille sagacissimus lamellas in iisdem
 deprehendit, ex quibus calculi animales compositi sunt; neque
 puella ejusmodi pathematibus unquam fuit afflicta, quæ calculosos
 torquere solent; neque dilatatas valde, multoque minus dilaceratas
 vias urinæ habuit. Quapropter Facultas medica publice d. 1. Februar.
 ann. 1753. lapides istos pro suppositis adulterinis, totumque morbum
 pro efficto ac turpiter simulato declaravit. Neque his fidendum est
 mendicantibus, qui se alienigena quævis, sili-ces, ossa *) acus, cla-
 vos ferreos, ranas aliaque animalia dejecisse contendunt. Fraudu-
 lentia enim hic nunquam non subest, quæ facile etiam in apricum
 deducitur. Ita Leidæ olim paupercula vixit, puerum alens, sili-
 ces

68) vid. *Recueil pour servir d'eclaircissement détaillé sur la maladie de la fille
 d'un tireur de pierres du village de S. Geosmes prez Langres, par M.
 Morand, Paris. 1754. 12.*

*) Excipio sceletorum minorum ossa, quæ ex alvo quandoque descen-
 dunt & a fetu vel intra uterum vel extra illum diu & per plures
 sæpe annos detento derivanda sunt, quæque, ulcere intus orto, per
 hoc ad intestina deferuntur.



ces duros, ut ipsa affirmabat, per alvum excernentem; unde a di-
tioribus copiosas eleemosynas impetravit & pancreaticæ vixit.
Quum vero fama tandem ad Medicos, & ab his ad magistratum
delata esset, qui matrem & filium seorsim ardentiori custodiæ trade-
bat; mox lapideus iste morbus cessavit, fraudeque detecta, mater
virgis cæsa urbe cum puero expulsa fuit 69).

§. XXVIII.

Sudorem quoque voluntatis arbitrio nonnunquam excitari, ob-
servationibus quibusdam, licet admodum paucis & raris, comper-
tum est 70). Hinc simulatos inter morbos ille a MICH. ALBER-
TI recensetur 71). Verum tamen, quum nemo adhuc sudorem
nefariam simulasse nobis visus est; hinc immerito putamus eum in-
ter dictos morbos referri. Iisdem adnumerari vulgo consueverunt
simulata Virginitas, Conceptio, Partus, aliaque similia; quæ vero
quam manifesto vel non sint morbi, vel potius ad dissimulata
pertineant, lubenter prætermittimus.

69) vid. Lanzweerde *natural mular. bistor.* p. 276.

70) Exemplum occurrit in *Tb. Bartholini Actis Medic. Hafn.* Vol. IV.
obf. 82. de Simonis Paulli, non incelebris olim Medici, filio, qui ta-
men particularis tantum fuit in manibus.

71) Opere dicto, §. XV. p. 215.







Göttingen, Diss., 1769

ULB Halle

3

008 563 691



1078





DISSERTATIO MEDICO-FORENSIS
DE
SIMVLATIS MORBIS
ET
QVOMODO EOS DIGNOSCERE
LICEAT

1769
~~1761~~
7

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
RVDOLPHO AVGVSTINO VOGEL D.



T MEDIC. PROF. ORD:
R. L.

MEDICINA HONORIBVS
CONSEQVENDIS

PROPOSITA

A

ACOBO JANSEN

GA-HOLSATO

R. A. R. S. MDCCCLXIX.

TINGAE

BARMEIERIANA.